


CONSILIIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE



IANUARIO-APRILI 1965

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

DE ORATIONE FIDELIUM

1. AN IN MISSIS CUM CONCURSU POPULI QUOTIDIE DICI DEBEAT?

Non semper. Constitutio de sacra liturgia (art. 53) statuit ut « praesertim diebus dominicis et festis de praecepto restituatur ». His diebus ergo est obligatoria, aliis diebus est ad libitum celebrantibus. Valde convenit tamen ut fiat in peculiaribus adiunctis, cum habetur concursus extraordinarius ad ecclesiam, in aliquibus feriis Adventus et Quadragesimae, vel cum sanctificatur peculiare aliquod momentum vitae christiana, v. g. in celebrationibus matrimonii, exsequiarum, primae admissionis ad s. Communionem, Confirmationis. Eo praesertim cum nostris temporibus in his functionibus potius « familiaribus » saepe unica habetur occasio inducendi ad universalem precationem christificantes tepidiores qui his tantum circumstantiis ecclesiam adeunt.

Pretiosa margarita a Concilio liturgiae romanae restituta ut pars insignis et regularis Missae, magnum etiam momentum pastorale prae sefert.

2. QUISNAM DEBET VEL POTEST APPROBARE FORMULAS ORATIONIS COMMUNIS?

Pertinet ad Coetus Episcoporum territoriales, ad normam *Instrumentum*, n. 56.

Nam oratio ista deprecationem Ecclesiae universalem exprimere debet, sed omni loco et tempori aptatam. Ut vera habeatur participatio, necesse est ut haec oratio vere persentiatur uti propria, et spontaneitati, ac realibus necessitatibus et indoli regionum singulorumque populorum respondeat.

Hic magna varietas admitti potest, praesertim in intentionibus et in formis participationis populi, iuxta mores et consuetudines variarum gentium.

3. AN LICEAT RECTORI ECCLESIAE ORDINEM INTENTIONUM MUTARE?

Certe. Recta structura orationis communis postulat ut unumquodque schema quatuor intentionum series contineat: « pro sancta Ecclesia, pro iis qui nos in potestate regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus »,¹ et pro locali communitate.² Ita habetur vera precatio « communis » seu « universalis ». Tamen Rector ecclesiae, his quatuor generibus servatis, non tenetur intentiones unice ex uno schemate seligere; sed potest illas sumere ex variis formulariis a competenti auctoritate approbati, et novum suum schema ordinare. Tantum hoc modo oratio charactere universalis ditatur et insimul sensus exprimere potest peculiari coetus qui illam participat.

In celebrationibus votivis, v. g. in nuptiis, funeribus, etc., amplior locus tribui potest intentionibus particularibus, sed numquam totaliter derelinquendo intentiones universales.

4. UTRUM RECTORI ECCLESIAE LICEAT ALIQUAM INTENTIONEM ADDERE

Sine dubio. In quarta serie intentionum, Ordinarii locorum pro necessitatibus dioecesis, et rectores ecclesiarum pro sua communitate, unam alteramve intentionem addere possunt. Hic locum aptum habent precationes olim ab « orationibus imperatis » expressae.

Intentiones a Rectore ecclesiae compositae, *scripto* dari debent, ne facili et fortuitae locutioni ansa prebeatur.

5. QUOT INTENTIONES PROFERRI POSSUNT?

« Consilium » ita proponit: « Ne oratio communis intempestiva diuturnitate gravet fideles, auctoritas competens, si casus fert, potest statuere numerum maximum intentionum in Missa adhibendum. Attamen, hic numerus superari poterit pro opportunitate, ex. gr. in celebratione verbi in aliqua peregrinatione vel in aliquo extraordinario conventu ».³

Cum ergo numerus taxative non determinetur, consultur ut intentiones numerum 5-6 non excedant, unam, vel quandoque duas, ex qualibet serie seligendò.

¹ *Constitutio de sacra Liturgia*, art. 53.

² Cfr. *De oratione communis seu fidelium*, In Civitate Vaticana 1965, p. 6, n. 9 E).

³ *Id.*, p. 8, n. 20.